

14.11.63

RELATIO Subcommissionis 2ae
de quaestionibus maioris momenti necnon
de emendationibus textus,
relate ad n. 15 (olim n. 9) Cap. I:

J. Medina S

) CONCILIO VATICANO II

P. JORGE MEDINA E.

CARPETA E. 1. 1. No. 9

REFERENCIAS

Oboediens muneri a Commissione de Doctrina fidei et morum ei
imposito, Subcomm. 2a rationem habuit omnium animadversionum a Patribus
Concilii propositarum (quatenus eae Subcommissioni communicata sunt:
i.e. usque ad E/573).

Relatio sequenti modo dividitur:

I. De iis qui textum completum novum desiderant.

II. De anxietatibus aliquorum Patrum et ordinis pastoralis et ordi-
nis doctrinalis, quae proposita concreta non continent et quid Subcom-
missio de iis sentiat.

III. De mutationibus concretis a Subcommissione acceptis cum rationi-
bus pro et contra.

IV. De mutationibus a Subcommissione non acceptis cum rationibus pro
et contra.

Ad I. (de textu novo): Textum completum novum desiderant :

E.D. MARLING (E/583), ut indicatur in schedula. Illum textum
autem nondum vidimus.

E.D. PLANAS, ^(E/684) qui exoptat ut novus textus conficiatur ratione
habita schematis de Oecumenismo et cum illo concordans. Textum vero non
proponit.

Rationes pro novo textu datae sunt: 1) quod in textu recepto sermo
est de Spiritu adducente [l. 35-38], in "De Oecumenismo" vero de actioni-
bus sacris [p. 8, l. 27-31].

Respondetur a Subcommissione (etsi non unanimiter) quod non sunt locu-
tiones contradictoriae: per actiones sacras Spiritus adducit ad Ecclesiam.

2) Quod in textu recepto sermo fit de B.M.V.; in "De Oecumenismo" non.
Respondetur quod ibi in Cap. I non nominatur veneratio B.M.V., quia princi-
pia valida pro omnibus separatis ponuntur. In Cap. III autem, ubi de orien-
talibus agitur, quidem mentio fit huius venerationis [p. 21, l. 1 et 22].

Conclusio: Standum videtur, ratione quidem habita schematis de Oecu-
menismo quoad emendationes, textu recepto.

Ad II. (de anxietatibus aliquorum Patrum): Anxietates sequentes affe-
runtur:

1) Timor ne tenor nimis positivus acatholicos in sua vita aca-
tholica firmet, catholicos vero, quibus moralitas catholica onerosa est,
infirmit. Ita unus Episcopus. ^{Wheaton (E/875)} Submissio respondet quod ea quae posi-
tive in hac paragrapho affirmantur, vera sunt. Ex alia parte ea quae ti-
mentur, non probantur. Valeant ergo facta vera contra supposita. Insuper,
affirmationes quae in hoc n. 15 (olim n. 9) fiunt, sequentia logica sunt
earum quae fiunt in n. 14 (olim n. 8).

2) Anxietas quod hic non praedicatur, actionem Spiritus copiosio-
rem esse in Ecclesia quam in fratribus acatholicis. Ita S. E. Card. MICARA ⁽⁶⁾
et E. D. TABERA. ^(E/550) Subcomm. respondet quod in n. 15 comparatio non insti-
tuitur inter illos et nos, sed tantum agitur de nexibus obiectivis quibus

nobiscum coniunguntur. De cetero copiosior actio Spiritus in Ecclesia clare apparet in n. 8.

3) Anxietas quod christiani non catholici Australiae putarent, se secundum hunc textum receptum veram Eucharistiam habere. Ideoque rogat, ut clare quid addatur de reali praesentia. Ita B. STEWART (137) Respondetur quod hic agitur de aliqua anxietate particulari, cui non hoc in loco, ubi generali modo de nexibus agitur, satisfaciendum est.

Ad III. (de mutationibus acceptis): Secundum ordinem ipsius textus novi hic afferuntur.

- 1. 3: Episcopi Italiae proposuerunt: Loco "vel", ponatur "et". Ratio: Communio cum R. Pontifice pertinet ad fidem (E/616). Subcommissioni mutatio acceptanda videtur.
- 1. 3: BAUDOUX (134) proposuit verba Encycl. Ad Petri Cathedram, scilicet "fidem vel communionem in Beati Petri Cathedra non profitentur". Subcommissioni haec mutatio quidem placuit, ut formula fratribus separatis minus dura; dixit autem potius: "sub Successore Petri", ut subordinatio Papae clarius exprimat. *Vere idem rogant Card. Silva Henriquez + 44 ep. (E/512.2)*
- 1. 4: Loco "Ecclesia, pia omnium Mater", dicitur tantum "Ecclesia": Primo, quia 1. 17 introducenda videbatur "Ecclesia Mater"; secundo quia haec formula in auribus christianorum separatorum, de quibus hic sermo fit, propter rationes historicas non tam bene sonat.
- 1. 5-11: Multi (e.g. Episcopi Neerlandici, *Card. Parisiensis + ep. regionis (130) (E/537)*, P. BUTLER O.S.B.; BAUDOUX) rogaverunt meliolem ordinationem nexuum quibus christiani non catholici cum Ecclesia catholica uniuntur. Insuper numerum maiorem nexuum petierunt. Submissio, propositum admittens, a minus ad magis procedens, novum ordinem proponit, inducens ut nova elementa: venerationem S. Scripturae, (ab Episc. Neerlandicis propositam), zelum apostolicum (ab Episc. DEARDEN et GRIFFITHS, membris Subcommissionis, propositum), fidem in Deo Patri omnipotenti (a C. Parisiensi et Episcopis eiusdem regionis propositam), incorporationem in Christo (ab Arch. GARRONE et quibusdam aliis propositam), enumeratio episcopatus (a BAUDOUX proposita). Ordinatio nexuum clarior adhuc fieri videtur, si admittatur nova redactio 1. 1-11, sicuti in fine paginae textus novi proponitur.
- 1. 8-9: Plures Patres (e.g. Episc. Neerland.; BUTLER; in documento ab Episcopis insulae Madagascar Subcommissioni tradito) rogaverunt, ut sermo hic fiat de communitatibus christianis christianorum non-catholicorum, sicuti et in Encyclicis Papae Ioannis XXIII et in Allocutionibus Papae PAULI VI fieri solet. Submissio, huic proposito accedens, induxit formulam "imo et alia sacramenta in suis communitatibus christianis agnoscunt et recipiunt". *insuper:*

Ratio contra novam formulam videtur, quod hic tantum sermo fit de "christianis non-catholicis", sicuti in n. 14 de catholicis et in n. 16 de non-christianis. Deinde quod quaestio moveri potest de natura harum communitatum.

Ratio pro nova formula videtur, quod omnibus christianis non catholicis durum esset, si tantum ut individua singularia considerentur cum neglectu eorum pertinentiae ad communitatem christianam, in qua praecise fundamentum omnis motionis oecumenicae situm est. Deinde quod, in traditione, Ecclesiae Orientales separatae ab Ecclesia Catholica "Ecclesiae"

nominantur, dum Papae IOANNES et PAULUS insuper de "communitatibus christianis" protestantium reverenter loquuntur.

- l. 10: Dicitur "episcopatu gaudent", ut evitentur difficultates de successione apostolica, dum tamen hoc elementum essentielle et orientalibus tam carum, enumeretur.

- l. 10-11: Dicitur "devote celebrant", ut evitetur difficultas ab E. FRANIC proposita de absentia devotionis exercitii erga SS. Eucharistiam apud Orientales separatos.

- l. 13: Perplures Patres (Episcopi Germ. et Scandin.; Episc. Neerland. et aliqui alii) rogaverunt, ut delineetur "quaedam".

Ratio: Videtur hic agi de gratia sanctificante, quae "virtute sanctificante" Spiritus Sancti in christianis non-catholicis producit. Quare non est ratio addendi "quaedam" ad coniunctionem productam. Insuper sensum peiorativum sapit. Subcommissioni tamen videtur quod coniunctio in Spiritu Sancto cum christianis non catholicis incompleta dicenda est, quia perfecta unio in Ecclesia Catholica, cuius anima Spiritus Sanctus est, adhuc deest. Quare praefert dicere: "vera quaedam", ut evitetur sensus peiorativus, dum differentia dogmatica inter coniunctionem inter catholicos et cum christianis non catholicis tamen clare appareat.

- l. 13-14: Aliqui Patres (E. D. GARRONE et aliqui alii) rogaverunt, ut hic non introducatur oppositio inter "intra Ecclesiam et extra Ecclesiam". Quia nulla ratio adesse videtur talem oppositionem hic accentuandi, Subcommissioni melius visum est, verba "non solum ... intra Ecclesiam, sed" omittere. De operatione intra Ecclesiam enim fuse iam dictum est.

- l. 17-19: S.E. Card. RICHAUD rogavit ut delineetur in p. 13 schematis, l. 1 verbum "purificati". Ratio: Si non catholici bona fide sunt, non indigent per se purificatione. Submissio, perspicuens quod formula adhibita sat ambigua est (agitur enim potius de purificatione et renovatione catholicorum), novam formulam proponit ex qua clare patet, hic tantum agi de purificatione et renovatione catholicorum. Quare additur "Mater" [l. 17] in relatione ad "filios" [l. 18].

- l. 19: "effulgeat" simplificatio stilistica nobis videtur.

* * * * *

Notae biblicae additae sunt, quia aliqui Patres conquesti sunt quod basis biblica rerum quae in hac paragrapho dicta sunt, deesset.

In fine paginae novi textus additur alia compositio linearum 1-11, propter difficultatem a quibusdam Patribus, tum in Aula Concilii, tum in nostra Submissione (E. D. DEARDEN et E. D. GRIFFITHS) propositam de protestantibus non-baptizatis. Rogant, ut aliquid de coniunctione eorum cum Ecclesia Catholica dicatur. Eo magis quia numerus eorum, praesertim in Statibus Unitis sat magnus est.

Sed contra est quod linea demarcationis inter christianos et non-christianos videtur esse baptismus: cf. Io. 3, 5 (Nisi quis renatus fuerit...). Quia opiniones in Submissione divisae fuerunt, proponitur hic textus qui loco textus recepti et in novo textu conservati, eligi posset.

Ad IV. (De mutationibus a Submissione non acceptis): Sunt mutationes vel aliquantulum partiales, vel simpliciter verbales in textu recepto:

- 1. 24: Mutetur cum in quare. Ita CATONI (E/612). Non procedit quia non clarificatur sensus.
- 1. 24: Addatur "valide baptizati" (Episcopi Italiae (E/616), et CARLI (132). Procedit iuxta determinationem quaestionis positae a D. JACQ. Submissione non placet quia additio superflua videtur et non catholicis offensiva.
- 1. 26: Addatur sine sua culpa (Episc. Italiae: E/616). Submissione non placet propter easdem rationes ac supra.
- 1. 24-27: Nova redactio: Omnes filios qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem vel unitatem communionis in B. Petri cathedram non profitentur. Mater Ecclesia plures ob rationes fratres et filios appellat..." (BAUDOUX: 134). Ut foveatur manifestatio vinculorum internorum. Ratio non est cogens. De se supponitur quod non sunt in communione cum Petro. Si est separatus, deficit in fide. Et fides est a Petro proposita.
- 1. 27: Mutetur coniunctam in unitam. (WEBER: 135). Parum refert.
- 1. 33-34: Proponit: Qui non solum intra catholicam (ut visu ac specie secretam) donis et gratiis agat. Reiciendum videtur (ELCHINGER: 142).
- 1. 35: "sanctificante sive visibiliter per sacramenta, sive invisibiliter, etiam in illis..." (WEBER: 143). Respondetur: De sacramentis iam actum est.
- 1. 35: "sanctificante ope eorum quae in communione cum Ecclesia Petri habent..." (TABERA: E/550).
- 1. 35: Loco operatur operari valeat (Episcopi Italiae: E/616). Ut distinguatur factum a facultate. Reiciendum videtur quia agitur de facto quod agnoscitur.
- 1. 38: Addatur textus de praedicatione ad acatholicos (HEENAN: E/572). Textus est propositus in documento. Resp.: Melius videtur verbum "agere", ne suscitetur suspicio proselytismi angusti.

* * * * *

Restat mihi tantum, ut veniam petam de defectibus huius relationis, propter urgentiam rei celerrime factae.

d. 14 m. nov. 1963

J.L. WITTE S.J.

* * * * *